

vt suprà diximus, non vultus aut corpus,
sed animus cuiusque is est, cuius quodam-
modo facies sermone reuelatur, vt videri
possit, qui inuisibilis est naturæ: Nec mi-
nus sapienter interrogatus à quodam,
cur sibi ad tranquillitatem animi nil pe-
regrinatio profuisset: Noli, inquit, ad-
mirari, quoniam te ipse circumfers. Pro-
fectò enim excutere, vitia, moresque ma-
los conuenit, & habitum cui assueuimus
exuere, Cum se quisque quod fuerat do-
mi reliquerit, & in virum alterum versus,
nouum viuendi genus induerit, tum de-
sum tutò peregrinari poterit, alioquin,
quid prodest patriam fugisse, si seipsum
non effugiat? siue montes transcendet
siue concendet nauim, comitabantur
cor vrentes negotiorum curæ, & consciæ
mentis arcana supplicia, & tenaces con-
suetudinum pessimarum laquei: Hoc
est enim seipsum circumferre. Peregri-
natio igitur non sufficit, dicente Saty-
rico:

*Cælum non animum mutant, qui trans ma-
recurrent.*

Huius eiusdem viri est illa sibi conue-
niens semper uniformitas, quam ex no-
tris in C. Lælio fuisse legimus, ex Græ-
cis